

UNIVERSITATI LITTERARIAE  
**CAESAREAE DORPATENSI**  
ALMAE  
**OPTIMARUM ARTIUM CULTRICI AC NUTRICI**  
**DECEM LUSTRA**

FELICITER PERACTA

SUMMA PIETATE SUMMAQUE OBSERVANTIA CONGRATULANTUR

**GYMNASHI RIGENSIS**

DIRECTOR INSPECTOR PRAECEPTORES.

INSUNT

**THEOLOGUMENA TACITI.**

SCRIPSIT

**J. F. WITTRAM.**

**MITAVIAE.**

TYPIS J. F. STEFFENHAGEN & FILII.

MDCCCLII.

UNIVERSITATI LITTERARIAE  
CEZAREAE DOPPATENSIS

ALMAE  
OPTIMARUM ARTUM QUITRIAC NUTRIO  
DECIM IUSTRA

DIGITIZED BY PROJECT

SUMMA PLENTATE SUMMAM QUITRIAC CONVENTUANTUR  
Imprimitur

haec dissertatio ea lege, ut, quum primum ex officina emissā fuerit, numerus  
exemplorum ejus legibus constitutus collegio libris inspiciendis exhibeatur.

Rigae die X<sup>m</sup>. Octobris a. MDCCCLII.

Dr. J. G. Krohl,  
librorum censor.

INSTITUT

THEOLOGIENI TOTALI

SCHREIBERI

L. R. WITTIG

MATRICAL

THIS IS A LIBRARY PROPERTY OF THE

MDCCCLII

## Theologumena Taciti.

Tacitum legenti nonnemini accidere arbitramur, ut, quum acre ejus et perspicax in rebus humanis dijudicandis atque enucleandis admiretur ingenium, idem passim offendatur inconstantia quadam ac dubitatione qua scriptor alias tam sibi constans res tractaverit divinas. Ubiecumque enim hunc attigit locum, in tanta versatur verborum ambiguitate sententiarumque varietate ac dissensione, ut quid de diis rebusque diuinis ex animi sententia statuerit, perquirere difficillimum esse videatur. Quo factum est, ut qui hac de re judicarent, in diversissimas abirent partes, aliqui eum in Epicureorum ponenter numero, alii Stoicae vindicarent scholae, alii scepticismi vel adeo atheismi incusarent, alii denique quam proxime ad doctrinam Christianam accedere perhiberent. Atqui tauta est summi Romanorum historici apud omnes auctoritas tamque justa ingenii ejus veneratio, ut quid de rebus, quae unicuique maxime cordi esse debeant, re vera senserit, accuratius anquirere ad rectam scriptoris existimationem magnopere interesse videatur. Hunc locum tractare quum nobis proposuerimus, singulari adducti Cornelii studio et amore, id maxime nobis cavendum arbitramur, ne quid temere statuere audeamus nevè, id quod quibusdam hac de re judicantibus accidisse videmus, aut singulari inducti nostri historici ingenio atque auctoritate et singulis commoti ejus vocibus sententias in eum inferamus aliunde profectas vel alia eaque clariore luce patefactas et illustratas, aut nonnullis quae animum a religione alienum prodere videantur judiciis decepti, in illorum temere eum detrudamus numerum, qui nihil quod supra rerum oculis subjectarum naturam emineat, agnoscunt. Facile enim fieri potest, ut quis alios locos premendo quaeque iis consentanea sint constantissime persequendo, malis aut neglectis aut ad opinionem temere conceptam contortis certam quandam stabilemque efficiat doctrinae formulam perse quidem speciosam sed ei, qui sententiarum a scriptore prolatarum contueatur.

summam, parum sane probabilem. Quod ut vitaremus, ita rem aggredi nobis visum est, ut Taciti, quantum fieri posset, omnibus vel certe gravissimis qui hue pertinenter locis propositis atque inter se collatis, quaereremus, num forte inter se conciliari ad certamque ac sibi constantem scriptoris sententiam referri possent, an non ab omni sententiarum ambiguitate absolvit neque omnia ab eo dicta ad vivum resecari posse nobis profitendum satisque habendum esset, doctrinae quam quidem in rebus divinis constanter teneret, quasi extrema quaedam ducere lineamenta.

Quum antem Tacitus nullum scriptum nobis reliquerit librum, quo quid his de rebus sibi videretur consulto exposuerit, in philosophum ex historico inquirere ex iisque, quae historico data occasione exciderunt, de philosopho conjecturam facere necesse est. In narrandis enim rebus gestis, praesertim Romanorum, qui religionibus deorumque cultui antiquitus admodum dediti, ea in qua Tacitus versabatur aetate, quo magis concussa erant antiquae illius erga deos pietatis fundamenta, eo magis indulgebant omni superstitionum generi, facere non poterat, quin res diuinæ hominumque de iis opiniones attingeret. Quod etsi ad cognoscendam ipsius scriptoris rationem parum facere videatur, tamen quomodo has res tractaverit hominumque de iis opiniones retulerit, ad quaestionem nostram plurimi interesse appareat, praesertim quum Tacitus non is esset, qui ad Thucydidis exemplum tranquillo et inturbato animo res tamquam infra se positas intueretur itaque literis mandaret, aut quid ipse sentiret nullo proderet verbo, sed eam sequeretur rationem, ut aquacumque scriberet, iis sui ingenii imprimere vestigia quibusque ipse moveretur sensibus, eos in legentium animos infunderet, quo fit, ut tamquam aliud agendo sua naturae nobis indolem aperiat verbaque quasi praeteriens narrationi interjiciat, quae ut in intimum ejus pectus introspiciamus, nobis permittant. Neque vero desunt loci, ubi suo nomine de rebus divinis judicet suamque sententiam aut breviter indicet aut, quod quidem est rarissimum, diserte explicet, qui loci, quo magis sunt ambigu, eo magis aenigmata quodam legentium animos alliciunt et ad commentandum atque meditandum incitant. Verum me in singulis locis defixi, aliis qui haud minoris sint momenti e conspectu amissis, a veritate aberremus, primum omnia a Nostro dicta, quae plurimum conferre videantur ad ingenii Tacitei hac ex parte formam atque speciem animo complectendam, uno tamquam oculorum obtutu perlustrabimus, quod quum fecerimus, tum denum, quid de eorum summa statuendum sit, licebit quaerere.

Tria autem sunt genera locorum, quorum hic potissimum habenda videtur ratio; unum ea continet, quae Tacitus de Fato et Fortuna rebusque fortuitis, alterum quae de Diis, tertium quae de prodigiis ac vaticiniis profert.

Primum igitur in Taciti libris summam quaerentibus rationem, unde rerum ducantur principia, vicissitudines, ordines, occurrit nobis Fatum \*), quod quidem tantum abest, ut sit caecum quoddam ac rigidum, ut aliquo consilio rerum vicissitudines dirigere, virtutum humanarum ac vitiorum habere rationem, quin etiam a divinae providentiae notione haud procul abesse videatur.

Sic constans est Taciti opinio, Vespasianum propter insignes quarum ediderit documenta virtutes singularemque animi rectitudinem fataliter fuisse electum, qui res bellorum civilium atrocitate saevaque proximorum principum crudelitate perturbatas ac pessumdatas in ordinem redigeret mitioremque ac faustiorem reduceret aetatem, id quod sperare et expectare a principio longe aberat ab ejus modestia. Is igitur qui „a Claudio in partem rerum assumptus in Britannia hominum oculos in se converterat, monstratus fatis \*\*“ dicitur. Agr. 13. Locus varias ob causas memorabilis de Fato Vespasiano imperium destinante legitur. H. I. 10. Tacitus enim in describendo rerum statu, qualis fuerit ineunte Galbae Principatu, mentione facta Vespasiani, qui a Nerone ad bellum Judaicum gerendum delectus, Tito filio ad venerationem novi Principis missus, sponte jusjurandum ei dederat ac ne cogitabat quidem rerum potiri:

„Occulta \*\*“), inquit, „Fati et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque ejus imperium post fortunam credidimus“ \*\*\*).

\*) Quod plurali interdum forma utitur ad simplicem fati notionem significandam, nil facit ad rem, sive de rerum, quae fataliter evenire putantur, complexione sive de vulgari illa προσωποποίη cogitandum est, qua plures quae Fati decreta exsequuntur deac fingebantur.

\*\*) Parum refert, utrum cum Orellio fatis pro tertio casu accipias: »designatus quasi fatis, quo postmodum ad principatum eveheret« an Walchium sequaris, qui interpretatur: »a fatis Romanis ut futurus princeps monstratus per praeclaras res ab ipso gestas.« Utra enim interpretatio praferenda sit, magis divinari quam demonstrari posse videtur, quoniam neutra abhorret a ratione vel grammatica vel logica.

\*\*\*) Ita legendum censemus; nihil enim est, quod contra codd. auctoritatem quod vulgo additur »lege« in textum inferatur, praesertim quum haec verborum conjunctio (occulta Fati i. e. τὰ ἀρντὰ τῆς εἰμαργένεις, arcana quaedam Fati necessitas) Taciti dicendi rationi maxime sit propria.

\*\*\*\*) Non possumus, quin contra ea dicamus, quae Hoffmeister (Weltanschauung des Tacitus p. 103), sagacissimus ceterum ingenii Tacitei estimator ad hunc locum affert. Is enim verbis additis »post fortunam credidimus« totius loci vim prorsus elevari

Idem, quum Neronis iram in se commovisset, Ann. 16, 5 „mox imminentem perniciem majore fato effugisse“ dicitur. Quum jam arma cepisset, ut Vitellio bellum inferret, H. II, 82 „Sufficere videbantur adversus Vitellium pars copiarum et dux Mucianus et Verpasiani nomen, ac **nil arduum fatis.**“ Praeter locos ad Vespasianum pertinentes, cuius quidem memoriam singulari quodam animi affectu prosequens Tacitus Fati maxime agitat mentionem, etiam alias ita de eo loquitur, ut rerum principatum et quasi regimen ad illud deferre videatur. Satis erit memorare H. II, 69 „Cohortes Batavorum, ne quid truculentius aunderent, in Germaniam remissae, principium interno simul externoque bello **parantibus Fatis.**“ Interdum autem ita loquitur, ut Fati notio tantum ad cogitationem valere videatur, ut est H. I, 50 „Otho et Vitellius velut ad perdendum imperium **fataliter** electi.“ Neque desunt loci, ubi Fati facta mentione causae adduntur naturales, quae aut simpliciter cum Fato conjunguntur: Ann. I, 55 „Varus Fato et vi Arminii cecidit,“ aut ita afferuntur, ut in incerto relinquatur, utrum res ad Fatum an ad causam naturalem sit referenda: Ann. I, 3 „Cajum mors Fato propera vel novercae Liviae dolus abstulit.“ Atque etiam animi motus hominumque facinora a Fato repetuntur aut simpliciter, ut est Ann. XV, 61, ubi tribunum, quem missum, ut Senecae mortem indicaret, Fenius praefectus, ut Principis jussa exsequatur, admonet „**fatali omnium ignavia**“ et addita ambigua illa particula: H. I, 71 „Mansitque Celso **velut fataliter** etiam pro Othonе fides integra et infelix;“ aut ita, ut simul causa adjiciatur ab animi indole desumpta: Ann. XI, 26 „Messalinam — etiam Silius, sive **fatali vecordia** an imminentium periculorum remedium ipsa

perhibet, tamquam scriptor dicere voluerit: ea, quae per se essent vana, tum demum, quum forte fortuna eventum habuissent, nescio quam veritatis induisse speciem. At quum Tacitus constanter id ageret, ut **Vespasianum** sive **fataliter** sive **divinitus** ad imperium destinatum fuisse demonstraret, non est, cur huic loco ponderis quidquam detrahamus. Nihil enim obstant verba illa, quin, si quaeratur quid Tacitus de Fato atque vaticiniis protulerit, hoc dictum aliquo numero putemus, siquidem ea est omnis vaticinationis ratio, ut iis, quae obscure plerumque et quasi aenigmate quodam portendantur ac praedicantur, tum demum, quum ad effectum adducta sint, plena affundatur lux ad obscurasque rerum futurarum pia fide amplectendarum praeensiones scientia accedat atque intelligentia, id quod ex universa et V. et N. T. vaticinatione satis appareat. Ceterum Hoffm. ad sententiam suam probandam consert Ann. XV, 74 „In praesens haud animadversum, post arma Julii Vindicis ad auspicium futurae ultionis trahebatur,“ cuius loci tamen alia est ratio, tum quod hic de praeagiis sermo pest ost eventum demum fictis, illie de ostentis ac responsis eventu duxit probatis, tum quod hic de aliorum loquitur opinione, illie suam ipse dicit sententiam.

pericula ratus, urgebat.“ V, 4 „Junius Rusticus, fatali quodam motu (nequé enim ante specimēn constantiae dederat) seu prava sollertia“ — . XIII, 12 „Nero ab Octavia, nobili quidem et probitatis spectatae, Fato quodam an quia praevalent illicita, abhorrebat.“ — De ratione autem, quae intercedat inter fatalem illam necessitatem et liberum hominum arbitrium, quod quidem in universae historiae perpetuitate eum tenuisse haud facile quisquam negaverit, non satis sibi liquere ipse aperte confitetur Ann. IV, 20. M. Lepidi illata mentione, qui, quamquam vir gravis et sapiens, tamen aequabili auctoritate apud Tiberium, optimo cuique videlicet infestissimum, viguerit: „Unde, inquit, dubitare cogor, Fato et sorte nascendi, **ut cetera**, ita Princepum inclinatio in hos, offensio in illos; an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam et deformē obsequium pergere iter, ambitione ac periculis vacuum.“

Deinde quod alibi Fato tribuitur, fere idem alibi ad Fortunam refertur. H. II, 1 „Struebat jam Fortuna in diversa parte terrarum initia causasque imperio“ (cf. struebat Fortuna et H. II, 69 parantibus Fatis). H. III, 69 „Patuit quantum discriminis adeundum foret, ni Vitellium retro Fortuna vertisset.“ Ann. XVI, 1 „Illusit dehinc Neroni Fortuna, per vanitatem ipsius et promissa Ceselii Bassi.“ Inter fortuita autem, quae Fortunae notionē comprehendi apparet, referuntur et corporis bona hominibus tributa: Ann. XV, 48 „Aderant etiam fortuita, corpus procerum et decora facies;“ et quae fiunt in rerum natura, ut ignis violentia, annusque feralis, quae Urbem ultra solitum affecerant: Ann. IV, 64 „qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes;“ et animi motus: Ann. XVI, 6 „Poppaea mortem obiit fortuita mariti iracundia.“ Omnes denique mortalium res Tacito forte fortuna atque temere fieri videntur. Ann. III, 18.

Quum enim forte accidisset, ut inter domesticos Tiberii, quibus aequa atque ipsi Principi Senatus Messalino consule auctore grates agere decreverat, Claudius, quippe qui stolidissimus et contemptissimus esset ex domo Augustea, in oblivionem venisset consuli, tum demum ejus nomen adscriptum est, quum senator quidam, num prudens praeteriisset, percunetatus esset. Quod quum propter futurum Claudi Principatum mirum ac memoratu dignum videretur Tacito, narrationi hanc inseruit sententiam: „Mihi, quanto plura recentium seu veterum revollo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur, quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio, quam quem futurum Principem **Fortuna** in occulto tenebat.“

Haec et similia dicta si reputaverimus, vix ullus universorum Deorum numini reliquus esse videbitur locus. Attamen inveniuntur apud Tacitum loci,

ubi Diū res mortalium moderari atque administrare dicuntur ad eorumque benignitatem et iram referunt bona et mala. Auxilium ferunt in aincipiti proelio: H. IV, 78 „Nec sine ope divina mutatis repente animis terga victores vertere“ — adversus frugum penuriam ac famem: Ann. XII, 43 „Magna que deum benignitate et modestia hiemis rebus extremis subventum“ \*).

Auxilii divini ejusque miraculosi singulo homini lati exemplum legitur H. IV, 81 ubi Tacitus duos aegrotos, unum caecum, alterum claudum a Vespasiano in Aegypto sanatos esse refert: „Per eos menses — multa miracula evenere, quis coeli favor et quaedam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur“ — et id quidem exemplum bona fide neque ulla dubitationis significatione refert atque adeo narrationi fidem addit testimonio, quo ei ut historico nullum poterat videri minus suspectum: „utrumque, qui interfuerent, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.“ Nimirum gratia illa divina Vespasiano contigit ex Taciti sententia propter insigne ejus virtutes, praecipue modestiam, quam quanti faciant dii, ea quoque indicant verba, quae Tacitus ex suo utique ingenio dicere facit Vologesem, quum is Tiridatem fratrem a Romanis expulsum in regnum restituere conatur: Ann. XV, 2 „Vestra quidem res et gloria in integro est, addita modestiae fama, quae neque summis mortalium spernenda est et a Diis aestimatur.“

Iudem Diī occulta vitia in lucem proferunt. Quum enim Nero Agrippinam matrem occidere meditaretur Ann. XIV, 5 „noctem sideribus illustrem et placido mari quietam quasi convincendum ad scelus Diī praebuere.“ Quamquam hic quoque pro singulari sua de his rebus ambigue dicendi ratione, tamquam ne quid audacius de Diis affirmare videretur veritus, particula „quasi“ utitur, tamen negari nequit, hanc sententiam ex animo Deorum justorum nequitiaeque vindicum opinione imbuto profectam videri. Ad eandem opinionem referendam esse apparet illam, quae pluribus locis memoratur, „ira numinum in res Romanas“ (Ann. XVI, 16). „Diis“ enim „propitiis, si per nostros mores liceret“ (H. III, 72) propter aetatis omni scelerum genere contaminatae atrocitatem ultrici potissimum manu opus est, neque mortalibus, ut ex malis recreentur securitatique se dedant, ab iis permittitur. H. I, 3 „Nec enim umquam atrocioribus populi

\*) Verbis „et modestia hiemis“ benignitatis divinae generi humano opitulantis notionem elui Hoffmeisteri est opinio, quae minime nobis probanda videtur. Facile enim intelligitur, etiamsi quis causas naturales, quibus sit vel adjutus vel servatus, neque ignoret neque reticeat, nihilominus eum suo jure, quiequid boni sibi contingat, ad beniguitatem divinam referre et posse et debere.

Romani cladibus magisve justis indicis approbatum est, non esse curae Deis securitatem, esse ultiōrem.“ Haec ira Deum, a Sulla et Marii potissimum temporibus rebus Romanis imminens, malaque malis continuata afferens, non solum cominota est hominum nefanda nequitia, sed etiam ipsa eos ad nova scelera quodammodo propellit. H. II, 38 „Eadem illos Deum ira, eadem hominum rabies, aeedem scelerum causae in discordiam egere,“ quo circa Tacitus (Ann. XVI, 16) eorum, qui sub Nerone tam segniter perierunt, memoriam a legentium detestatione vindicaturus, iram illam numinum in res Romanas unicam dicit causam, cur odio minus sint digni. Eandem Deorum suae aetati iratorum notionem Tacitus animo complecti videtur, quum G. 46 „Feunos dicit securos adversus homines, securos adversus Deos.“

His locis nonnullos adjicere liceat ex iis, ubi Tacitus non suo quidem nomine loquitur, sed alios inducit de Diis loquentes, qui loci, quum ad ipsius sententiam cognoscendam nullius momenti esse videantur, tamen non prorsus negligendi sunt, quod secundum veterem rerum scribendarum consuetudinem ne a Tacito quidem repudiata orationes rerum gestarum narrationi insertas plus minusve ex suo ingenio eum composuisse sententiasque certe in sui ingenii formam redigisse existimandum est. H. II, 76 in oratione ad Vespasianum habita Mucianum dicerē facit: „Juxta Deos in tua manu positum est“ etc.; item Ann. XIII, 56 in responso Ansibariis dato: „Id Diis quos implorarent placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret;“ et Tiberium Ann. IV, 38: „Deos ipsos precor, ut mihi ad finem usque vitae quietem et intelligentem humani divinique juris mentem duint.“

Deorum vero, quos locis modo allatis Tacitus cogitatione complectitur, generi humano prospicientium, probis faventium et bene facientium, improbos ira et poenis consequentium notioni repugnare videntur alii loci, ubi certe nonnulla sine eorum cura evenire (Ann. XIV, 12: „quae“ — int. prodigia, quae Neroni exitium portendere existimabantur — adeo **sine cura Deum eveniebant** \*), ut multos post annos Nero imperium continuaverit“), quin etiam nullam virtutis ac vitii rationem eos habere dicit. Ann. XVI, 33 „Asclepiodotus — labentem

\*) Haec verba enim ita intelligere possumus, tamquam Tacitus simpliciter dicere voluerit, res relatas per errorem ad Neronis exitium tractas esse, quod ista prodigia irrita fuisse disertis verbis jam dixerat neque probabile est scriptorem alias verborum tam parcum eaudem aliis verbis referre sententiam. Non igitur potest negari, hanc loco e. sententiam contineri: res naturales et quidem eas, quae ad salutem hominum praesertim fidem iis habentium tamquam ostentis divinis, haud parvi sint momenti (ut »solem repente obscuratum et tactas de coelo quatuordecim Urbis regiones«) sine ulla cura Deorum et accidere posse et accidisse.

(Soranum) non deseruit, exutusque omnibus fortunis et in exilium actus, aequitate Deum erga bona malaque documenta“ \*). (Cf. etiam locum supra allatum Ann. III, 18.)  
Jam reliquum est, ut, quae Tacitus de divinatione protulit, persequamur, qui locus quam: arte cum superioribus cohaereat quantique sit momenti ad ejus de Diis rebusque divinis opiniones recte aestimandas facile appetet. Futura enim vel ostentis portendi vel vaticiniis praedici posse ne cogitare quidem licet, nisi rerum ordine sive fataliter sive divinitus constituto, quoniam, quae secundum causas, i. quatenus in intelligentiam cadunt, naturales mens humana etiam sine motu atque impulsu Deorum vel conjectura assequitur vel necessario eventura praevidet, non pertinent ad eam quae proprie dicitur divinationem, quippe quae miraculosa quaedam et arcana rerum futurarum a veteribus semper existimata sit praesensio. (Cf. Cie. de divin. I, 49.)  
Parum quidem momenti habet, quod Tacitus, quandoquidem ut Romanus scribebat, quae legerentur a Romanis, ceterorum scriptorum exemplum secutus multa retulit quae putabantur ostenta, prodigia, vaticinia, nullo ipsius addito judicio. Ann. II, 54. XI, 21. XII, 43. 64. XV, 7. 47. H. I, 62. Sed nonnullis locis, quid de his rebus ipse judicet, non retinet. Diserte et plane eas refert ad vulgi opinionem imperitorumque superstitionem. Ann. XIV, 22 „Inter quae et sidus cometes effulsit; de quo vulgi opinio est, tamquam mutationem regnis portendat. — Auxit rumorem pari vanitate interpretatio fulgoris.“ H. I, 86 „Prodigia insuper terrebant, diversis auctoribus vulgata — et plura alia, rudibus saeculis etiam in pace observata, quae nunc tantum in metu audiuntur.“ (Cf. etiam l. s. I. Ann. XIV, 12.) — Post eventum demum hujus modi res homines superstitiones interpretatos esse indicat Ann. XV, 74 „In praesens haud animadversum, post arma Julii Vindicis ad auspicium et praesagium futurae ultiionis trahebatur.“ Attamen nequaquam omnibus, quae ad divinationem pertinent, fidem denegat. H. I, 3 „Praeter multiplices rerum humanarum casus coelo terraque prodigia et fulminum monitus et futurorum praesagia laeta, tristia; ambigua, manifesta,“ quo loco quum ambigua disertissime et planissime distinguat a manifestis, eum non omnia duntaxat a superstitione hominum credulitate repeteare appetet. Quamquam mathematicos (H. I, 22) „dum novos motus et clarum Othoni annum observatione

\* ) **Quomodo Hoffm.** hunc locum vertere potuerit: „nach der Gerechtigkeit der Götter gegen gute und böse Handlungen“ difficile est intelligere, quum aequitas h. l. nihil aliud esse possit quam: das sich gleich Verhalten, gleichmäßiges Verfahren, Gleichgültigkeit.

siderum affirmant, genus hominum“ dicit „potentibus infidum, sperantibus fallax“ tamen ne hanc quidem quae putabatur artem prorsus ab eo repudiari appareat ex Ann. IV, 58, ubi saltem aliqua ex parte hariolos illos verum assecutos esse statuit, et ita quidem, id quod maxime est considerandum, ut casum fortuitum non habuisse locum diserte dicat. „Ferebant periti cœlestium, iis motibus siderum excessisse Tiberium, ut redditus illi negaretur. Unde exitii causa multis fuit, properum finem vitae conjectantibus vulgantibusque. Neque enim tam ineredibilem casum providebant, ut undecim per annos libens patria careret. Mox patuit **breve confinium artis et falsi veraque quam obscuris tegerentur.** Nam in Urbem non regressurum, **haud forte dictum:** ceterorum nescii egere, quum propinquo rure aut litore, et saepe moenia Urbis assidens, extremam senectam expleverit.“ Fidei autem, quam Tacitus quibusdam saltem ostentis ac responsis habuisse videatur, vel certius atque luculentius repeti poterit argumentum a loco, de quo supra jam diximus. H. I, 10 „Oculta Fati“ etc.

Sin vero aliquid reliquum est dubitationis, id removetur memorabili illo loco H. V, 13, ubi Tacitus ea ipsa, quae apud exteram gentem evenerant, prodigia et vaticinia, ad Vespasianum ita refert, ut Judaeorum opinionem a suo de vera illorum interpretatione judicio diserte distinguat: „Evenerant prodigia, quae neque hostiis neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. Visae per coelum concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collucere templum. Exapterae repente delubri fores, et audita humana vox: excedere Deos; simul ingens motus excedentium. Quae pauci in metum trahebant: plurimis persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judaea rerum potirentur: **Quae ambages Vespasianum ac Titum praedixerant.** Sed vulgus more humanae cupidinis sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem **ad vera** mutabantur.“

Si locorum hucusque e Taciti libris allatorum respicimus summam, ex singulis, si premantur ad vivumque resecentur, earundem sententiarum thesim et antithesim talesque fere propositiones sibi contrarias effici vel elici posse facile apparent:

- 1) Fato et necessitate immutabili omnia fiunt ideoque ratione aliqua rerum vicissitudines diriguntur. — Pleraque sunt fortuita et in casu posita Fortunaeque in ludibrio res mortalium versantur.
- 2) Dii res humanas moderantur atque administrant, ad eorumque benignitatem et iram referenda sunt bona et mala. — Idem res humanas interdum nihil curant.

3) Dii justa lance culpam et merita hominum pensant: irascuntur improbis, favent probis. — Idem nulla virtutis ac vitii habita ratione bona ac mala hominibus disperint.

4) Suae quisque virtutis et nequitiae auctor est. — Etiam animi motus atque facinora aut ad Fatum referenda aut inter fortuita numeranda aut a Diis repetenda sunt.

5) Ostenta quae putantur ac vaticinia ad imperiti vulgi opinionem sunt referenda. — Sunt prodigia et vaticinia sive fataliter sive divinitus edita, quibus res futurae vere portenduntur.

Ariadnes filum, quod ex hujus Labyrinthe tenebris in lucem nos proferat, circumspicientibus praesto nobis sunt scholae philosophorum Taciti tempore florentes, quorum ex telis num forte filum illud deduci possit, quaerere operae pretium esse videtur. Per se quidem probabile est Tacitum omnibus, quibus illo tempore aetas puerilis ad humanitatem informari solebat, artibus eruditum etiam philosophiae operam dedisse, atque insuper ex pluribus locis appareat, eum ab his studiis haud fuisse alienum neque eorum, quae singulae philosophorum familiae profiterentur, placitorum ac praceptorum ignarum. H. IV, 5. Ann. VI, 22, quibus locis ii, qui dialogum de clar. or. a Tacito scriptum censem, addant licet Cap. 31, ubi de oratoris agitur instrumentis a philosophorum disciplina repetendis. Verum si quaeritur, quam philosophorum scholam ipse secutus sit, profitendum nobis est, cum non solum id quod inter omnes fere constat, nulli adeo semancipavisse, ut ad ejus doctrinam suum historiae scribendae genus suaque de rebus gestis judicia informaret\*), sed ne in iis quidem, quae hoc loco tractamus,

\* Sententiam contrariam protulit vir magna sane auctoritate Gibbon (*the history of the decline and fall of the Roman Empire*. Lips. 1821. 1 Vol. p. 295), qui Tacitum primum historicorum philosophiae scientiam ad rerum gestarum historiam applicasse censet: In their primitive state of simplicity and independence the Germans were surveyed by the discerning eye and delineated by the masterly pencil of Tacitus, the first of historians, who applied the science of philosophy to the study of facts. At quantumvis debuerit Tacitus philosophiae studiis, quae qualia fuerint, suspicari potius licet quam argumentis demonstrare: tamen, quod historiae Taciteae est eximium, id adeo ejus est proprium atque suum, ut nullius usquam philosophorum doctrinae speciem prae se ferat. Quod quum virum doctissimum effugere potuisse vix credamus, hoc tantummodo dicere voluisse nobis videtur: Tacitum, id quod facile largimur, ingenio philosophiae studiis subacto ad historiam scribendam accessisse, quamquam verba: «the first of historians» aliter locum intelligere nos cogunt, siquidem jam ante Tacitum nonnulli fuerant Romanorum, plures etiam Graecorum, qui plus minusve, philosophiae studiis adjuti ad historiam scribendam se contulissent.

ullam philosophorum rationem ita animo complexum esse, ut aliqua quaestions  
nostrae praesidia inde possint requiri.

Cum Stoicis quidem eum aliqua ex parte cognitionem quandam habere,  
cuique in promptu est, quum universam ingenii formam in Taciti libris expressam  
intuenti, tum austera, qua de aetate sua judicium fecerit, severitatem reputanti;  
neque negaverimus, inclinatione voluntatis in illam eum propendere disciplinam,  
cui quantopere faveat quantumque ad virtutem confirmandam tribuat vim, si  
non ad sapientiae ostentationem, sed ad vitae conferatur usum, satis appareat ex  
H. IV, 5: „Helvidius Priscus — ingenium illustre altioribus studiis admodum dedit:  
non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus  
fortuita rempublicam capesseret. Doctores sapientiae secutus est, qui sola bona  
quae honesta, mala tantum quae turpia; potentiam, nobilitatem, ceteraque extra  
animum neque bonis neque malis annumerant.“ Et siquidem paeclarissima  
quaeque indignissimorum hominum simulatione in risum ac ludibrium verti possunt,  
quo minus honorificum illud testimonium Stoicis ex animi sententia a Nostro dari  
credamus, nihil obstat, quod (Ann. XVI, 32) „P. Egnatius emptus ad opprimendum  
amicum, auctoritatem Stoicae scholae praeferebat, habitu et ore ad exprimendam  
imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus, subdolus, avaritiam ac  
libidinem occultans,“ neque quod inter sapientiae doctores (Ann. XIV, 16), quos  
Nero ludibri causa coenae adhibebat, ut contraria asseverantium discordia  
frueretur, Stoici qui dicebantur non deerant, qui „ore vultuque tristi inter  
oblectamenta regia spectari cuperent.“

Praecipue autem Tacitus in iis, quas de morte voluntaria protulit, sententiis  
cum Stoicis mirifice consentit. Multus enim est in praedicandis hominum mortibus,  
qui sponte vita exierint, sive ut rei publicae saluti consulerent (H. II, 50), sive  
ut temporum miseriam et praesente (Ann. VI, 26) et futuram (VI, 48) effugerent,  
sive ut imminentem damnationem paevenirent (Ann. VI, 30).

Contra ea Ann. II, 63 Maurobodo opprobrio vertitur, quod imminuta clari-  
tate ob nimiam vivendi cupiditatem in sede a Tiberio ei concessa consernescere,  
quam honesta morte vitam finire maluerit, et Ann. V, 37 Messalinae „animo  
per libidines corrupto nihil honestum fuisse“ dicitur, quod suadentibus, ut  
decora morte percussorem paeveniret, non obsecuta sit. Prae ceteris hic  
memorandus est Senecae philosophi exitus, qui tam forti et constanti animo  
mortem oppelliit, ut vitam magna ex parte inconstanter expiasse videretur  
Tacito, qui, quum illum philosophiae suae paeceptis instructum et corroboratum  
mortem contempsisse universa declaravit narratione, doctrinae, quam ille

profitebatur, Stoicae honorificum sane impertivit testimonium. — At quantavis sit Taciti cum vitae praeceptis a Stoicorum schola profectis consensio, gravissimis nihilominus impedimur argumentis, quo minus omni ex parte et in iis potissimum, quae ad nostram quaestionem pertinent, illorum rationem eum secutum esse statuamus. Etsi enim inter ea, quae de Fato, de Diis, de ostentis ac vaticiniis protulit, reperiantur, quae ad Stoicorum his de rebus doctrinam facile possint accommodari: tamen alia adeo ei adversantur, ut potius ex Epicureorum castris petita videantur, quod quidem accuratius demonstrare eo magis supersedere poterimus, quod non solum ex locis supra allatis satis apparet, sed etiam Tacitus ipse neutri illarum scholarum se deditum suumque de earum placitis judicium in suspenso esse disertissime ac planissime confessus est. Memorato enim Tiberii de Ser. Galba praeagio subdoloque relato artificio, quo ille Thrasillum quandam, quem in Rhodō insula Chaldaeorum artis habebat magistrum, pertentaverit verunque expertus sit, Ann. VI, 22 haec affert: „Sed mihi haec ac talia audienti **in incerto judicium est**, Fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur. Quippe sapientissimos veterum, quiue sectam eorum aemulantur, diversos reperies, ac multis insitam opinionem, non denique homines diis curae; ideo creberrime et tristia in bonos et laeta apud deteriores esse. Contra alii Fatum quidem congruere rebus putant, sed non evagis stellis, verum apud principia et nexus naturalium causarum: ac tamen electionem vitae nobis relinquunt; quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem. Neque mala vel bona, quae vulgus putet: multos, qui conflictari adversis videantur, beatos ac plerosque, quamquam magnas per opes, miserrimos; si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur. Ceterum plurimis mortalium non eximitur, quin primo cujusque ortu ventura destinentur, sed quaedam secus quam dicta sint cadere fallaciis ignara dicentium. Ita corrumpi fidem artis, cuius clara documenta et antiqua aetas et nostra tulerit.“

Jam si quaeritur, quae intercedat inter Nostrum et principes illius aetatis philosophorum sectas ratio, hanc ipsius habemus confessionem, qua nulla potest esse minus suspecta vel ambigua. Quum autem Taciti libri integerrimum quemque judicem ita maxime afficiant, ut facile sibi persuadeat, eum adeo esse suum, ut ad eum aestimandum nihil, quod aliunde petitum sit, adhiberi posse videatur: tum hoc loco philosophorum scholas circumspicere in iisque rationis, quam Tacitus in rebus divinis judicandis secutus sit, vestigia perscrutari cogimur desistere. Ad ipsum igitur, sui nimirum optimum interpretem, revertamur

necesse est. Is vero, quod eadem alibi affirmare, alibi negare, hoc denique loco suum de gravissimis rebus judicium in incerto relinquere non dubitat, quo tandem modo ab inconstantia potest absolvit, vel, si non potest, quibus causis factum esse censemus, ut sibi ipse repugnaret? Hunc autem nodum nullo modo expediri posse arbitramur, nisi respiciamus ancipitem illam hominum naturam, qua fit, ut multum intersit inter ea, quae in cognitione versantur, et ea, quae intimi animi sensu comprehenduntur, quae quidem cognitionis et animi sensuum discrepancia tantum abest ut in obtusa potissimum et imbecilla cadat ingenia, ut quo quis majore sit praeditus mentis acie, eo magis ei sit obnoxius. Itaque siquidem jure a theologis prædicatur illud Augustini: „fides præcedit intellectum,” nihil quod Tacito utpote doctrinae Christianæ experte sit indignum, dicere videbimus, si quae animo potius concepta quam cogitatione comprehensa et penitus perspecta habeat, cum iis quae ratiocinando assequatur, non semper neque omni ex parte consentire censemus. Fieri enim non potuisse arbitramur, quin Tacitus aliquam numinis divini, a quo ducenda essent rerum principia atque vicissitudines, anteaceptam animo haberet informationem, neque, qua erat animi altitudine, verisimile non est, Dei unius notionem quodammodo ei observatam esse, quae notio, quum ab universa antiquitate tum a sapientissimis illius aetatis viris non prorsus aliena (cf. Seneca Prooem. ad quaest. nat. §. 5. Ep. 41), optimo cuique et sapientissimo ita commendaretur necesse erat, ut semel cognitam eam prorsus a se rejicere et aspernari vix posset. — Ex universa quidem quum humani cultus civilisque tum philosophiae historia satis appetat eam esse naturam humanam, ut singulari destituta ope divina per superstitionum et fabularum varietatem difficillime eluctetur ad unius Dei, totius mundi creatoris rerumque gubernatoris sanctissimi ac sapientissimi notionem fide amplectendam, quae quidem notio, quamvis in ea demum informanda et explicanda acquiescere posse videatur mens humana rerum divinarum curiosa, tamen a singulis quibusdam antiquitatis viris in lucem prolatā, denuo caligine obruitur iisque ipsis, qui mente eam perceperant, tamquam strictim apprehensa e manibus elabitur, ita ut nullus omnino reperiatur veterum philosophus, qui constanter eam secutus sit eaque nixus tamquam solido quodam fundamento rerum rationes explicare sit conatus, nedum ad vulgarem popularemque sensum notio illa pervenerit. Cui notioni quantopere reluctetur ingenita quaedam hominibus perversitas, magno sane arguento est Judaeorum exemplum, qui quum haberent doctrinam auctoritate divina traditam, omni rerum gestarum memoria miraculorumque divinitus editorum magnitudine confirmatam, institutis ritibusque sacris stabilitam

eandemque a viris afflatu divino instinctis etiam atque etiam auribus et animis inculcatam, tamen iterum iterumque in commenticias ethnicorum superstitiones relapsi sint. Hujus autem perversitatis humanae causas altius perspicere et ad generis humani principia referre quum theologorum sit et a nostra quaestione alienum, id certe hoc loco nobis tenendum est, difficultatis, quae hominibus obstat, quo minus notionem illam semel cognitam in succum et sanguinem redigant ad vitamque transferant, causam non tam a mentis imbecillitate, quam ab animi morumque quadam pravitate, qua etiam menti caligo obducatur, repetendam esse. Quum vero in Taciti scriptis mentem spirare sentiamus, quam summo honestatis studio nequitiaeque odio imbutam aliqua ex parte Christianam dicere haud dubitaverimus, animum ob morum pravitatem puriori doctrinae adversantem ac reluctantem ei fuisse existimare minime est consequens. Quapropter notionem illam, quae, quum inter tot philosophorum commenta passim adumbrata ei occurreret, aliena ab eo esse non poterat, neque ipsa probabilitate ac veritate animum ejus percussisse neque ullo modo in eo inhaesisse, eo minus est credibile, quod quam distincte et dilucide mente perceptam eam expresserit, videmus ex iis, quae leguntur in memorabili illa gentis Judaeae descriptione: H. V, 5 „Mente sola unumque numen intelligent profanos, qui Deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant; summum illud et aeternum neque mutabile neque interiturum.“ Haec verba scribere vix potuit, quin aeterna sententiae aliquo modo tangeretur et afficeretur veritate, quod quominus ullo proderet approbationis signo, retinebatur summa gentis quam describebat contemplatione, cui quidem genti multis numeris sibi invisa propter puriorem, quam profiteretur doctrinam, hostilis adversus alios odii morumque despectorum gratiam facere eo minus animum inducere poterat, quod eam constanter in hominibus judicandis sequebatur normam, ut ad vitae usum omnia referret neque morum pravitatem ullo modo cognitione atque scientia compensari existimaret (cf. Ann. XVI, 32). Huc accedit, quod rituum sacrorumque Judaeorum a Romanis diversissimorum externam quidem cognoverat speciem, sed ignorabat rationem, quo factum est, ut temere ea reponeret inter barbaras illas superstitiones, quas cum pestifera flagitorum cohorte in civitatem irrumpere gravissime dolebat. Sed quamvis „absurdus soñidusque“ ei visus sit „Judaeorum mos“ et quamvis graviter eos incereperit, „qui spretis religionibus tributa et stipitem illuc gerebant,“ id quod Tacitus ut Romanus, institutorum, quibus pristina populi majestas et rei publicae gloria aliquando nixa esset atque aliqua ex parte etiamtunc niteretur, nimirum observantissimus, non poterat quin

summae putaret impietatis: tamen eum, quam apud Judaeos reperiebat numinis divini ab omni mortali concretione segregati opinionem, repudiasse eo minus adducimur ut credamus, quod in describendis Germanorum moribus Deorum cultum ad Judaeorum rationem aliqua ex parte proprius accedentem, non addito quidem approbationis signo, sed tamen ita memorat, ut incultae gentis Deos colendi rationem tamquam ipsius ingenio accommodatam singulari quodam animi affectu et tacito, ut ita dicam, assensu amplecti videatur. Germ. 8 „Ceterum nec cohibere parietibus Deos neque in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine coelestium arbitrantur.“ His autem verbis Tacitum quasi per ambages vulgarem Romanorum opinionem reprehendere, eo magis est credibile, quod, etsi in Germania scribenda non id potissimum spectaverit, ut populares utili incultae ejusdemque incorruptae gentis exemplari ante oculos proposito vel nequitiae coargueret vel ad meliora adhortaretur, tamen dubium non est, quin multa in illo libro protulerit, quibus suae aetatis perversitatem perstringeret. Quo quum multa, quae in Germania leguntur, referenda sint, tum iis, quae paulo ante dicit de religioso illo seminarum cultu, quas Germani venerentur „non adulazione nec tamquam Deas faciant“ pravam quae illo tempore inter Romanos vigebat hominum adulacionem atque adorationem peti manifestum est, quo circa etiam quum locum laudatum scribebat, populares eorumque religiones ac caerimonias respexisse eum probabile est. Ante oculos enim ei obversabatur detestabilis illa religionum immanitas, quibus Principes ad nefaria scelera, cives ad servilem adulacionem sanciendam abuti videbat (Ann. XIV, 22 — XIV, 64 — XV, 71). Quantocumque igitur in numero ponebat sacra antiquitus instituta et observata, tamquam pristinae virtutis Romanae firmamenta: tamen, quo minus poterat sperare, fore ut Deorum cultus religionesque publicae, in quibus purgandis jam pridem frustra elaborassent viri antiquae disciplinae studiosi, vel meliorum Principum auspiciis in pristinum statum restituerentur, quoque minus „saevis illis temporibus virtutibusque infestis“ medicinam inde quaeri posse intelligebat, eo magis erat consequens, ut variam istam ac deformem superstitionum colluviem aversatus veriores de rebus divinis sententias propenso ad veritatem animo amplecteretur. Sed qualiscumque erat numinis divini notio in Taciti animo impressa et quasi recondita, neque ab ulla contemplativa quae dicitur philosophia profecta, neque certa quadam formula definita nobis esse videtur. Varia enim philosophorum, qui per difficilem et perobscurum de Diis rebusque divinis locum alii aliter tractaverant, placita ei, quo erat ingenii acumine, non poterant satisfacere, quum, quam debilia essent eujusque doctrinae fundamenta,

et quam facile, quae ab aliis subtiliter essent disputata, eadem disputandi subtilitate refelli possent ab aliis, nequaquam eum fugeret; ideoque, sicuti in historia scribenda ea quae non satis essent comperta atque explorata, in incerto relinquere satius ducebat, quam „fabulosa conquerire et fictis legentium animos oblectare“: ita quae mentis humanae vim effugere existimaret, pio potius animo fovenda quam ad rationem revocanda existimabat, quem quidem animi habitum verbis expressit, quae leguntur Germ. 34 „Sanctius ac reverentius visum de actis Deorum crederé quam scire.“ Quae verba ex intimi animi sententia eum prompsisse eo facilius adducimur ut credamus, quod eum varia philosophorum sómmia haud ignorantem effugere non potuisse censemus, in quantas mens humana incideret salebras, si rerum principia ad rationem revocare, quaeque pio animo comprehendenderentur, ad constantem doctrinae formulam redigere conaretur. Omnes igitur, quae eo pertinebant, quaestiones suo jure philosophorum permittere poterat disputationibus, praesertim quum in rerum terrestrium atque humanarum contemplatione versaretur, in quibus explicandis id ageret, ut „non modo casus eventusque rerum, sed ratio etiam causaeque noscerentur“ (H. I, 4). Quae causae quum ei repetendae essent a rerum oculis subjectarum natura hominumque, quorum historiam scribebat, indole, in qua perscrutanda nemo profecto fuit sagacior: haud certe erat, cur de industria ad rerum universitatis principia divinamque moderationem ascenderet, hisque de rebus quid sentiret aperte profiteretur, praesertim quum certam haberet stabilemque honestatis normam, ad quam perpensa hominum facta moresque posteritati traderet. Atqui non poterat, quin in rebus gestis narrandis interdum animi numinis divini opinione imbuti sensus proderet insigni aliqua re conceitos. Qum vero id non assecutus esset ac ne intendisset quidem, ut quae pio animo atque, sicut veteres Germani in sacris lucis numina venerantes „sola reverentia“ (Germ. 9) coleret et foveret, ad certam stabilemque sententiam perduceret subtiliter efficiam et perpolitam, accidit, ut eadem alibi affirmare, alibi negare vel certe in dubium vocare videatur, prout aut animi pietate ad res divinas fide amplectendas adducatur, aut mentis subtilitate rerumque cursu intelligentiae humanae vim atque notionem fugiente divinaeque sapientiae ac justitiae ad speciem contrario ad dubitationem revocatus sententias effundat, quae impietas speciem pree se ferant divinaeque reruni moderationi vel contrariae sint, vel in incerto eam relinquant. (Ann. III, 18 — XIV, 12 — XVI, 33 — Ann. VI, 22.)

Haec si reputaverimus, jam minus nos offendet sententiārum a Nostro prolatarum repugnantia, atque si non omnino ab inconstantia quadam possit

absolvi, tamen eam profitebimur esse ejus inconstantiam, quae ab ingenii ejus indole animique habitu non possit secerni, quo factum esse diximus, ut, quum rerum ordinem ad summae sapientiae atque justitiae normam divinitus institutum animo complecteretur, ratiocinando tamen ad dubitationem revocaretur, quando cumque rerum contemplatione ita afficeretur, ut numinis supremi notio ex animo ejus non evanesceret quidem, sed tamen ad tempus recederet. Quod quum nobis tenendum sit in sententiis divinae rerum moderationi contrariis recte judicandis, tum, ne de iis, quae de Fato, de Fortuna, de Diis, de prodigiis et vaticiniis satis ambiguae protulit, inquam feramus sententiam, haec duo denique nobis reputanda sunt: primum ambiguatem magna ex parte in ipsarum, de quibus hic agitur, rerum natura positam, referendam esse ad aeterna illa rerum aenigmata, quibus solvendis ratio humana aut omnino impar sit, aut certe non sufficiat, nisi singulari quadam luce divina illustrata; deinde verbis eam contineri ex popularium in Deorum opinionibus hue illuc fluctuantium thesauro desumptis, quibus ad communem sensum vulgaremque intelligentiam scriptor ita usus sit, ut ad philosophiae subtilitatem revocari nec possint nec debeant.

Primum rerum illarum, quae quanta in obscuritate versentur sagacissimus quisque maxime intelligit, ambiguatem et ad speciem repugnantiam paucis potius hic indicari quam accuratius exponi oportet. Eas enim potissimum dicimus quaestiones, quae pertinent primum ad naturae divinae totius mundi effectricis ac moderatricis cum universitate rerum, quarum causas alias ex aliis aptas et necessitate nexas statuere mentis nostrae legibus cogimur, conjunctionem; deinde ad rationem, quae intercedat inter voluntarios hominum motus, liberumque, cuius utique nobis concii sumus, arbitrium et vel naturalem illam causarum aliarum ex aliis aptarum necessitatem vel naturam divinam omnia numine suo moderantem atque dirigentem, quae quidem ratio eo est difficilior ad expediendum, si quae futurae sint hominum actiones divinitus portendi et praesagiri statuitur; tum ad mali et peccati originem, quod quomodo ortum sit locumque habeat in mundo, qui creatus sit et regatur a Deo sanctissimo eodemque potentissimo, nemo umquam vel explicavit vel explicabit philosophus; denique ad sanctitatem et justitiam divinam, quae quomodo conciliari possit cum rerum secundarum et adversarum ratione hominum virtutibus ac vitiis minime aequata, quaeritur. Hae quaestiones, quum commentando ac ratiocinando omnino vix persolvi posse videantur, tum a veteribus philosophis aut omnino non, aut non ita erant institutae, ut Tacitus in eorum placitis acquiesceret; atque in rerum gestarum contemplatione ingenio suo magis consentanea ne conabatur quidem occultas

illas et quasi involutas regiones sibi aperire, quippe qui eam tantummodo magni faceret philosophiam, quae ad vitae omnia referret rationem in iisque studiis, quae a rerum popularium ac civilium consuetudine oculos avocarent, modum tenere ingenuo civi Romano dignum duceret, qua in re praeclarissimi socii sequebatur exemplum, cuius vitam tamquam perfectae virtutis Romanae suae aetati accommodatae speciem posteritati tradidit (A. 4).

Eam secutus rationem, quandocumque in historia scribenda res attingebat ad occultos illos et reconditos philosophorum locos pertinentes, non poterat, quin usurparet verba ex vulgari popularique verborum copia hausta, quibus quomodo usus sit ad prodendos sensus cogitationesque rei cuiusque insignis contemplatione animo injectas, nunc est videndum.

Tacitus, quoniam res gestas ita narrare sibi proposuerat, ut simul, unde singula quaque orta essent et quomodo inter se cohaererent, demonstraret, eo ipso ad causarum tum in rerum tum in hominum natura positarum contemplationem deducebatur, quas quum necessitate alias ex aliis nexus videret, tamen rerum consilio quodam ac ratione constitutarum atque ordinatarum concepta notione impeditiebatur, quominus mundum quasi machinam quandam esse statueret rotis vectibusque huc illuc impulsam ac motam. Ad significandam igitur notiōem illam in animo impressam nullum reperiebat verbum, quod vagae et ad philosophiae rationem parum informatae animi sui sententiae magis esset accommodatum quam verbum Fati, in cuius notione adumbranda et definienda quantopere hue illuc semper fluctuaverint veteres et poetae et philosophi, nemo nescit antiquitatis non prorsus imperitus. Quum autem Fati notio semper inhaereret quiddam arcani, consentaneum est, Tacitum in rebus, quarum causae in aperto ideoque suae ut historici quasi sint ditionis, nullam Fati inferre mentionem et tum demum occultum illum citare rerum effectorem ac moderatorem, quum ea accidant, quorum causae ex consueta rerum continuazione vix intelligi posse et idcirco mortalium oculos subterfugere videantur. Verum, quoniam Fati notio tam prope accedit ad naturalem illam necessitatem, non est quod miremur, Tacitum interdum etiam additis causis naturalibus Fati facere mentionem, aut quod causas e rerum natura hominumve indole petitas non satis compertas vel certe eventis non sufficienes habeat, aut, id quod maxime est considerandum, quod rei aliqua ratione eximiae et mirabilis in memoria ita tangatur atque afficiatur, ut rerum supremo quodam consilio ordinatarum cogitatio mentem ejus subeat. Quum nihilo minus singula quaque per se spectata et extra naturalem illum rerum nexus posita ita animum afficiant, ut temere et fortuito facta esse videantur,

quandoquidem, quo consilio vel quibus causis facta sint, nos lateat: Fatum, a quo constantiae atque stabilitatis secerni non potest notio, cognatione quadam contingit volubilem illam, cuius propria est mobilitas atque inconstantia, Fortunam. Inde factum est, ut Tacitus, quae alias a Fato repeteret, eadem alias Fortunae tribueret, prout aut rerum consilio atque ratione ordinatarum cogitationem sequeretur, aut volubilitatem earum atque inconstantiam, mortalium rationi atque consiliis quasi per ludibrium illudentem, spectaret, id quod non ad aliqua philosophorum de Fato rebusque fortuitis placita, sed ad vulgarem dicendi usum referendum esse appareat.

Idem nobis tenendum esse videtur, si de iis agitur, quae Tacitus de Diis dixit. Quum enim philosophi, praecipue Stoici, quos multos fuisse constat in ratione, quae inter Fatum necessitatemque naturalem et Deorum providentiam intercederet, expedienda, tam abstrusa et contorta in medium protulissent, ut rem potius impedire quam expedire viderentur, id quod satis appareret ex libris a Cicerone de nat. Deorum, de divin., de Fato scriptis: tum vulgares veterum hac de re opiniones tam vagae atque incertae erant, ut inter fatalem immutabilemque necessitatem et Deorum, modo sua voluntate eam efficientium, modo frustra ei reluctantium, modo eam temperantium, moderationem suspensi semper haesitarent, nisi quod eam fere constanter sequebantur rationem, ut Fatum ad rerum divinarum atque humanarum universitatem referrent, Deorum vero suam cuique tribuerent provinciam, cui certis quibusdam finibus circumscripctae praefectus infinitam illam rerum fataliter constitutarum materiam in mundum inferret ad effectumque perduceret. Vulgari autem Deorum Olympicorum opinioni, a philosophis jam pridem infirmatae, a politioribus illius aetatis hominibus inter poëtarum fabulas relatae, apud imperitos commentorum ac superstitionum undique congestarum colluvie permixtae atque variatae Tacitum fidem habuisse quum per se haud admodum probabile sit, tum iis, quae Ann. VI, 22 ingenue ac libere confessus est, refellitur.

Attamen quum, qua erat pietate erga omnia, quae a patribus instituta et observata ab antiqua populi Romani maiestate non possent secerni, animum inducere non posset, ut de industria populares Deorum opiniones in dubium vocaret, vel examinaret et corrigeret, id quod a suo historici proposito longe alienum esse videbat, ad sensum communem popularemque intelligentiam ita de Diis locutus est, ut quae protulit, neque ad fidem integrum vulgaribus opinionibus habitam, neque ad inania verba referri posse appareat. Si autem locos, ubi Deorum rerumque divinitus factarum fecit mentionem, cum iis, qui de Fato

rebusque fatalibus agunt, comparaverimus, magnam sane reperiemus similitudinem. Eadem Deorum et causarum naturalium conjunctio (ut „Fato et vi Arminii — magna Deum benignitate et modestia hiemis“); eadem in utrisque locis ambigue illius particulae „quasi“ usurpatio, qua nimurum particulam scriptor se verba sua non proprie quidem intelligi, sed tamen ad veram quae sub iis lateat sententiam referri velle indicat; eadem in Vespasiani historia tum Fati ostentis ac responsis imperium ei destinantis a periculisque eum servantis, tum numinum coelestium miraculis favorem et quandam in eum inclinationem ostendentium commemoratio. Huc accedit, quod scriptor ipse disertis verbis Fatum et Deos ita conjungit, ut unam eandemque sententiam his verbis eum exprimere appareat. H. IV, 26 „quod in pace fors seu natura, ita tune [Fatum] et ira Dei vocabatur,“ quo loco, quod praeter consuetudinem singulari forma utitur, unius Dei notionem in animo impressam tamquam invitus atque imprudens prodere videtur.

Reliquum est, ut quae Tacitus de prodigiis ac vaticiniis protulit, cum notione illa consentanea esse demonstremus. Hoc vero paucis poterit absolviri. Ex locis enim supra allatis satis appetat, Tacitum, quamvis non omnia quae putarentur ostenta atque prodigia, pro veris haberet, tamen aliquod statuisse divinationis genus nonnullaque ita portenta et praedicta existimasse, ut, quod eventum haberent, neque ad casum fortuitum, neque ad eorum, qui ea praesagirent, singularem quandam rerum naturalium intelligentiam referri posset. Id autem ne in uno quidem statuere poterat exemplo, quin rerum consilio aliquo constitutarum atque ordinatarum principium agnosceret naturamque aliquam assumeret divinam, omnium rerum colligationem perspicientem signisque quibusdam interdum mortalibus futura declarantem. Cui quodecumque dedit nomen, ingenii Tacitei vestigia secuti eodem undique reducimur, ut divinae naturae rerum vicissitudines ordinesque moderantis notiohem ei tribuamus non explicatam quidem sed implicatam, non ad philosophiae quidem rationem expressam sed in animo impressam, dubitatione quidem alibi obscuratam verborumque ambiguitate passim involutam, sed tamen alibi conspicuam atque illustratam.

Ea autem quae Tacito jure vindicari possit numinis divini notitia quam manca sit et exilis, eo maxime appetat, quod neque ea, quibus virtutis, officiorum et bene vivendi disciplina continetur, principia a naturae divinae notione repetere, neque ad solatium miseris afferendum eam convertere, neque ad finem generi humano vel ultra vitae terminos propositum eam referre videtur. Virtus enim tamquam in se ipsa posita atque in libero hominum ea, quae honesta atque decora animo percepint, constanter consequentium arbitrio, sui contenta est

conscientia, neque usquam ad sanctam refertur legem hominibus divinitus praescriptam animisque insitam et innatam. A virtutis igitur omni vita expressae conscientia sempiternaque apud posteros memoria sola, quae Tacitus miseris praebet, deducuntur solatia (Ann. XV, 63), et ad eam solam ejusque memoriam conjunctissimi cujusque pietate venerandam mentisque formam aeternam tenendam et moribus exprimendam refertur hominum immortalitas, quam neque negare neque affirmare ausus solis utique magnis animis vindicandam declarat (Agr. 46). Sin vero quaeritur, quem tandem ad finem per tot discrimina rerum deduci putet genus humanum, nulla numinis divini, cuius benignitati sapientiaeque futura committantur, commemoratio; nullum aliud in temporum atrocitate spei ut ita dicam adminiculum, nisi sententia illa ambigue prolata Ann. III, 55 „rebus cunctis inesse velut orbem, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur“ et H. IV, 74: quamquam „vitia futura sint, donec homines, tamen nec continua esse et meliorum interventu pensari;“ nullum aliud imperio Romano, cui a Germanis gravissima pericula imminere provideret, remedium, nisi quod exoptat G. 33, pietate magis Romana quam humana commotus et tamquam rerum futurarum praesagiens: „Maneat, quaequo, dureque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando, urgentibus imperii fatis, nihil jam praestare fortuna majus potest quam hostium discordiam!“ Atqui eo ipso, quo Tacitus florebat, tempore, jam aderat in occultoque lucebat, quae caliginem ethnicorum vel sapientissimorum oculis offusam discuteret, lux Evangelii. Eventum igitur habuerat „quod“ antiquis sacerdotum literis contineri haud ignorabat (H. V, 13), sed longe aliter atque ipse erat suspicatus; „profectique Judaea“ jam in medium prodierant, non ii quidem, quibus Noster mirum in modum eodem quem Judaeis criminis verterat, errore deceptus „tantam fatorum magnitudinem interpretatus“ erat, sed, qui novorum sacrorum divinitus sancitorum semina dispergerent, Christiani, quorum et in Urbe et in provinciis diem de die augebatur numerus. Quos quam inique judicaverit, tamquam despactae et invisae gentis Judaeae propaginem vel stirpe pejorem, constat ex Ann. XIV, 44. Sed quamvis tenerentur ejus oculi, quo minus, quae praeteriens quasi per transennam aspexisset, proprius inspiceret, salutiferamque eorum vim agnosceret: tamen eos a veritate non abhorrere censemus qui Tacitum idoneum existimant, qui prae ceteris antiquitatis scriptoribus παιδάγωγος εἰς Χριστὸν dicatur \*), non quo singulari quadam rerum divinarum cognitione prae ceteris

\*) Vid. das Christliche im Tacitus von Dr. W. Bötticher.

imbutus magnopere exhibeat, quae ad doctrinam Christianam proprius accedant, sed quod vix nullus alias est scriptor, qui vel invitus atque inscius genus humānum vitiorum atque errorum gurgite immersum auxiliique inops tam clara voce ad divinum revocet nec deleget mundi servatorem. Quia enim Christo per orbem terrarum permeanti, omnia renovanti, novo spiritu afflanti via aperiatur atque muniatur necesse est, imbecillitatis, pravitatis, inopiae humanae intelligentia atque conscientia, nusquam alibi tam manifeste est expressa, quam in Taciti libris, quibus tamquam in tabula picta aetatis impiae suetisque remediis, quae „naturae infirmitatis humanae tardiora esse quam mala“ Noster judicat (Agr. 3), haud sanabilis imago ante oculos nobis proponitur. Ipse autem Tacitus majori quidem praeditus animo, quam ut de aetate sua prorsus desperet (Agr. 3 „Non tamen adeo sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit“) sed tamen animo nullius philosophiae placitis, in quibus acquiescat, expleto; adumbratam quidem numinis eujusdam divini opinionem pectore fovens, sed tamen parum constanter ad vitam miseriaeque solatia eam transferens; virtutis quidem speciem ad antiqua exemplaria informatam flagranti amore colens aequalibusque commendans, sed tamen, quae rei publicae intestinis malis aegrotanti efficienter adhiberi possit, medicinam frustra requirens; magnis quidem animis immortalitatem quandam attribuens, sed tamen, quid unumquemque mortalium ultra vitae fines maneat, in incerto relinquens: ipse igitur Tacitus locupletissimus profecto existimandus est infirmitatis humanae singulari ope divina egentis testis, qui providentiae divinae consilio immortales suos libros eo potissimum tempore posteritati tradiderit, quum, evanescentibus maximamque partem extinctis antiquitatis luminibus, ex remotissimo et despectissimo terrarum angulo jam exortum esset, quod nova luce orbem collustraret, sidus.